

tatis personam, neque λόγον concurrere ad productionem Spiritus Sancti: id quod universae nostrae Religioni dicam scribit.

93. Vnde quarto loco illud etiam emergit argumentum: Si λόγος unà cum Patre communi & aeterno Spiraculo Spiritum Sanctum producit: certe non decreti duntaxat respectu λόγος dicetur: Siquidem hoc decretum, etiam à Spiritu Sancto communi Trinitatis consensu est factum.

94. Quin, si nullo alio, & quidem magis proprio quam externi solummodo officij respectu λόγος in scriptura nominatur: Consecrarium fuerit, ipsum quoque Patrem & Spiritum Sanctum posse appellari λόγον: Siquidem secundum illud Augustini. Opera Trinitatis ad extra sunt communia. At posterius hoc est falsum. Ergo & prius.

95. Et quae tandem obsecro causa foret, quòd tam sollicitè & accuratè Theologi distinguunt, inter duo isthaec enunciata: Filius est λόγος respectu Patris ab aeterno: Et, Filius est λόγος respectu creationis & officij: & priorem quidem absolutae necessitatis; posteriorem verò necessitatis ἐξ ὑποθέσεως esse contendunt, nisi alia, praeter duas supra commemoratas, superesset causa, respectu cuius Filius λόγος in scripturis appellaretur, quae quò minus etiam respectu aeterni Patris, & aeternae generationis intelligatur, nihil obstare videtur.

G 3

96. Quid